



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]

Santeul, Jean de

[S.l.], 1670

urn:nbn:de:hbz:466:1-13421



Sammelband

De Paris

Benserade

~~V 40~~ Sehr gut erhalten

Gradenkexemplar des Fürstbischofs Ferdi-
nand v. Fürstberg
für die Jesuiten in Paderborn.

Prächtiger roter Maroquinband mit sehr reichem
Goldsprenkel, großes Superexlibris auf
beiden Deckeln (Wappen des
Fürstbischofs), Steh- u. Innen-
kanten verziert, Pariser Einband d. 17. J.

7 Gedichte von Pierre Corneille

3 große Kupfer (Chauveau)

und sehr viel Buchschmuck ^{in Kupfer} und Holzschmuck

Am Schluss (S. 59-62) Gedicht auf

des Dreißigjährigen Krieges

Vorrede gewidmet dem F. B. Ferdinand von Fürstberg
und Schluss

Am Ende sind 2 Blätter ungenutzt geblieben.

Warum? (3. u. 4. Seiten Blatt)

1679 o. 1680. (Paris)



f
27
1

L.VI 35

12

CLAUDIO LALANO
SODALI SVO

I. B. Santolius V.

TU quoque, LALANI, versu celebrabere nostro,
LALANI, egregios inter memorande Sodales,
Quos mihi junxit amor : nos ambo fecit amicos
Non ætas, non fors eadem, jurata tot annos
Non ea quam sequimur, communis regula vitæ ;
Hæc propter, viles animæ sibi fœdera jurent ;
Nos ratio melior, nos ambo candida virtus,
Par studium in musas sancto nos fœdere junxit.
Illi charus eram, mihi charus & ille vicissim.
Illius in pectus poteram deponere curas
Securus, nudis animamque effundere verbis.
Sæpe mihi medicam, dum me fors ægra teneret,
Præbuit ille manum, me tempestatibus actum
Eripuit, faciles ostendens denique portus,
Et me multa docens monitis implebat amicis,
Quà possem subitos fortunæ avertere casus.

Me fortunatum, solidos si ducere soles

ij

Sors mea cum tali me permisisset amico :
Nam licet æquales nos fecerat una voluntas ,
Idem animus , tamen hic paulo maturior annis
Me longe exuperans morum gravitate præibat.
Ille meos primus , facilis dum flectitur ætas
Optasset monitis , & sub ratione magistra
Frænare indociles juvenili in pectore motus
Et cohibere animum multa in diversa ruentem.
Si quando frænum excuterem , impatiensq; doceri
Jussa recusarem , me liberiore vagari
Ingenio , raperet quo me impetus , ire finebat.
Pacatis animis si forte quiesceret ira ,
Tum faciles aditus , & mollia tempora captans
Me me incufabat verbis haud asper amicis ,
Addebatque minas , dulces fingebat & iras ,
Laudabatque meæ interdum bona semina mentis ;
Nec non , quâ stimulis virtutem accendere posset ,
Ingenuos laudabat honesto in pectore sensus.

Illius ad speculum mores componere nostros
Ardebam , at frustra me velle ac posse videbar ,
Vix ego nam primos tentabam assurgere in ausus ,
Et mihi propositas imitando reddere dotes ;
Conantem necquicquam , atq; ardua facta sequentem
Me mea linquebat medio in conamine virtus.

Sæpe

Sæpe renarrabat, præclara exorsa juventæ,
 Ut docilis semper, semper patiensque laboris
 Haussisset varias quas pulcre noverat artes.
 Hujus crediderim Genios natalibus ultro
 Affulsisse bonos, olli comes addita semper
 Gratia, & in placido legitur sapientia vultu:
 Non semper rugis, non semper fronte severa,
 Hirsutoque supercilio, pannisque latefcit.
 Explicat hîc frontem, & nitido pulcherrima cultu
 Deterfo squallore, suos captabat amantes.

Divinâ pro re, pro Relligione tuendâ
 Sorbonici si forte patres in prælia surgant,
 Se parat ad pugnam LALANUS, & asper acutos
 Exacuit calamos, numerosa volumina pandit,
 Et sua dispergit simulato nomine scripta:
 Noctes, atque dies, indefessusque laboris
 Explorat mentem veterum, & monumenta verenda
 Cælestes Tabulas, & magni effata Tonantis,
 Quis mos, quæ fuerit seclis sententia prisca,
 Et feriem rerum, diversaquæ tempora signat.
 Hinc dubia illustrat dictis, hinc sensa profunda
 Eruit, & falsa lucis sub imagine noctes
 Detegit obscuras, simul & caligine pulsâ
 Noscere dat purum densa inter nubila Verum.

Quid referam egregias animi quas hauseris artes,
 LALANI? Te, quandoquidem qui præsidet urbi
 Artificum numero è magno selegerit unum
 Prætor, & in partem curarum onerisque vocarit.

Jam dudum variis tumefactus Sequana rivis,
 Exundans late civesque urbemque petebat,
 Quin etiam irato rumpebat flumine pontes.
 Quid faciat Prætor rerum in discrimine tanto?
 Quærebat rectorem operum, insignemq; magistrum
 Quo stolidos justis fluctus compescat habenis.
 Hoc opus urgebant populorum publica vota.
 LALANI jam jam perituræ providus urbi,
 Se se attollentes minus æquo littore fluctus,
 Tu reprimis, laxas aditus, aperisque canales,
 Quo jam liberius moles evolvat aquarum,
 Paulatim, factis frantgatque canalibus iras.
 Ni facias, totam raperet cum civibus urbem.
 Ibit jam propriis contentus Sequana ripis,
 Composito fluctu, & noto nunc redditus alveo
 LALANUM celebrabit, & undique littora, & ipsi
 LALANUM fontes, LALANUM flumina dicent,
 Vos quoque Sequanides nudo sub littore nymphæ
 LALANO, haud solitam tali pro munere ovantes
 Texite, quam meruit, glauca de fronde coronam.

SORBONA



SORBONA INCENSA.

QUOD SORBONA scelus potuit committere
tantum,

Sentiat ut tales flammis ultricibus iras?

Vidimus hos nuper, quibus arsit, vidimus ignes,

Et dolor est vidisse, sacri Domus hospita Veri,

Quam neque civiles potuerunt vertere motus,

Bellorumque faces, nec conjurata revellant

Sæcla, improvisos Domus hæc confidit in ignes.

Ergo tot veterum congesta volumina Patrum

Ardebunt impune? tot & monumenta laborum,

Et doctas noctes, vigilataque scripta tot annos,

Auferet una dies? vos ô succurrite Divi,

Effusosque super ruptis de nubibus imbres

Mittite, & audaces nunc nunc compescite flammæ.

Hic res vestra agitur, si vos SORBONA tuetur.

A

Si vestras aras, vestros si servat honores;
 Vos tanti obsequii memores servate cadentem.

Sacra, augusta Domus, tot ubi responsa Tonantis
 Accipiunt dubiæ mentes, ubi docta Vetustas,
 Et Pietas, & Religio, Virtusque, Fidesque,
 Nubibus excussis nudum dant cernere Verum;
 Et tamen illa Domus rapidis data præda favillis.
 Nec tu RICHELI, celsa de nube coruscans,
 Solus qui celeres potuisti extinguere flammæ,
 Ipse tuas dextro descendis Numine sedes?
 Quid tam lentus abes? an-ne hæc postrema fuisset
 Gloria, Regificis quas olim sumptibus Ædes
 Fundasti, simili cura studioque tueri?

Vana queror: ferro nec vincitur improbus undis,
 Insolitum furit ignis, & insuperabilis æstus.
 Vidi ego, dum late glomerata incendia regnant,
 Sorbonicos vidi superato culmine Patres,
 Accinctos operi, fontes immittere largos,
 Ne sanas rapiant flammæ contagia partes;
 Vidi GRANDINUM properantem, urnasq; ferentem
 Haud æquis humeris, connitentemq; MORELLUM.
 Tu quoque Sorbonici stat nunc quo gloria cœtus,
 COCQUELINE aderas; quæ mens tibi! quis tibi sensus!
 Dum magna in tenues ibat SORBONA favillas:

3

Tu strepitus inter, confusæ & murmura turbæ,
Non vanus spectator, at inter talia primus
Hortari socios, paribusque accingier armis.
Et memini quantos pro Relligione labores
Pertuleris. Nova scripta effuderat impius Autor
In certum regni exitium, tectusque cucullo
Vilis adulator Romæ, subvertere leges
Tendebat patrias; rupto ex Acheronte profectus
Impius Alter, A M A D Æ I sub nomine pulcro
Infandas veneres, & turpia facta docebat.
Tu Patriæ & Superûm sacro succensus amore
Proscribis geminos Roma indignante libellos.
Hoc & Relligio, & tua gloria nempe petebat.
Quin & P A R V I P E D E M semi-usto crine sequaces
Urgentem flammam per mille pericula vidi:
Sed frustra; jam ardet P O R C H E R U S, & ardet I A R B A S,
Et tua jam B O L L Æ E, librorum lecta supellex.
Quid faciant? superest miseris spes unica rebus.
Itur in augustum templum: melioribus acti
Consiliis, sacra servatum Numen in arca
Stant circùm trabeati omnes, atque ordine longo,
Effusi in fletus, & tumsi pectora palmis,
Procedunt, Numenque omnes placabile adorant.
Cœlicolum Rector tua-ne in discrimine tanto

4

Everti delubra fines, quas struximus aras
Urbe tibi in media, tibi quas sacravimus Ædes?
Hæc potius templis contingat flamma prophanis.
Quod si nostra gravem debent tibi crimina pœnam,
Adsumus; & quamcunque indixeris arbiter æquus,
Et vigiles curas, & longæ insomnia noctis,
Pauperiemque, famemque, tui nos sponte feremus:
Sed Templo jam parce tuo, & nil tale merenti.

Vix ea, cùm lustrare facram tanto Hospite Sedem,
Præsentemque Deum iratis opponere flammis;
Sensit flamma Deum, penitusque extincta resedit,



GABRIELIS COSSARTII
TUMULUS.

VOs placidi Manes, vos Umbræ, animæque
filentum,

Parcite, carminibus si vestra filentia turbem.

Ille meus studiorum, idem morumque magister
Occubuit *Cossartus*; & alta in nocte reliquit
Mœrentes Musas, doctas & Apollinis Artes.

Sint alii tristem tumulum qui floribus ornent:
Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,
Et pro more ferant accensi thuris honores;
Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus umbris:
Longe alios, *Cossarte*, tibi meditamur honores.

Primus ego ante alios longe mœstissimus omnes,
Olli qua tumulum tristes posuere Camenæ,
Pulvere conspersus caput, & subpallidus ora,
Lamentis implebo locum: dextraque tremente
Fumantem attollens tædam, turbatus & amens
Cossarti sacra vixdum tellure repostos
Lustrabo cineres: mox terque quaterque vocabo
Illius ingentem querulis clamoribus umbram.

Hic aderunt mecum, jam ingloria turba, poetæ:

Omnes funereis evincti tempora vittis,
 In tumulum immotis defixi obtutibus omnes.
 Confusos inter gemitus lugubre fonantes
 Impellent citharas : & amabunt ducere voces,
 Quales nupta solet cari post fata mariti.

Luētus ubique, & ubique dolor. Mors nescia flecti
 Secum Umbras, Noctemq; trahet, dirasque sorores.
 Si flecti eloquio potuisset, care magister,
 Nunc oculosque tuos, tua nunc simul ora tueri,
 Et dantem præcepta iterum te audire liceret,
 Illum Musæ omnes, illum sibi poscet Apollo
 Nequicquam : vobis filet, æternumque filebit.
 Sed quid ego hæc autem! *Cossartum* æterna loquētur
 Quæ scripsit feris monstranda volumina seclis.
 Illius immensas non vno carmine laudes
 Alterni repetent cantu, quibus ore profundo
 Mens viget & magnos agitatur sub pectore sensus,
 Magni oratores : *Cossarti* dicta retexent,
 Attollent; facta egregia : ut prostraverit hostes
 Fulminibus verborum, omni dum ex parte vagantur
 Tartaræ pestes rupto ex Acheronte profectæ,
 Quæ nova in antiquos spargebant dogmata ritus,
 Ostendent alii, pro religione tuenda,
 Seclorum tot opes, congesta volumina patrum,

Depositamque fidem , decreta antiqua priorum :
 Quos densæ eripuit nocti & crudelibus umbris
Cossartus , dubiis infundens lumina rebus.
 Tum quæ conciliis manifesto numine pleni
 Dictavere patres, manibus pia scripta tenebunt
 Et Pietas, & cana Fides, & nuda Vetustas.
 His radiis induta, nova sub luce micabit
 Relligio, puro populos & lumine pascet.
 Sub pedibus domiti Errores, Fraudesque resectæ,
 Et maletuta fremunt positæ Mendacia larvis.

Hic peplo velatæ Artes manifesta doloris
 Signa dabunt. Toto Facundia pallida vultu,
 Scissa comas, & tunsa sinus muta ora tenebit.
 Et, quibus illa placet, non amplius illa placebit
 Illecebris: verba egregia, artificesque figuræ,
 Fandi mille artes, vana ornamenta jacebunt.

Juxta, pallidior numeros oblita Poësis
 Grande supercilium & præclara insignia frontis
 Ponet, & incipiet Latios dediscere fastus.
 Tum citharas & plectra, tubas calamosq; refringet;
 Tristes exuvias, & inania munera vatum
 Illius imponet memori figetque sepulcro.

At dum quisque suo studet indulgere dolori,
 Non adero pompæ vanus spectator. Adeste,

Artifices magnorum operum, celebresque magistri,
 Ipse implebo meas tanto pro funere partes,
 Excelsam, ingentem, Pario de marmore ponam
 Pyramidem, magno incumbat quæ multa sepulcro:
 Illa quidem invidiam contra annorumque ruinam,
 Sculpta laboratis feret argumenta metallis.

Hic, *Cossarte*; tuum facili excudatur in auro,
 Quo septemgemi sonuerunt undique colles,
 Sacrum, augustum, ingens, & non imitabile carmen,
 Cernere erit triplices, diademata sacra, tiaras.
 Stemmataq; & pictos grandi sub imagine vultus:
 Ipsum & *Vechiaden*: fossus qui pectora ferro,
 Barbaricis tua, Christe, sonat dum nomina terris,
 Purpurea meruit caput insignire corona.

Addam, cum Latii quondam foret arbiter oris,
 Judice sub tanto non ipsis credere Musis
 Non ipsi vates voluissent credere Phœbo.

Addam tot noctes, vigilataque scripta tot annos;
 Tot præclara reperta, indefessosque labores:
 Si quando altarum tractaret pondera rerum,
 Ostendam, ut rivis doctrina undaret apertis.

Hic scuto rapidum flumen coelabitur aureo,
 Captivos fluctus ripis evolvere iniquis
 Impatiens: victor tandem & sibi redditus amnis,
 Exultans

Exultans campo jam liberiore vagari,
 Divitias undarum omni cum flumine pandet.
 Illic sub variis proponat multa figuris
 Artificum manus, & stellas in nocte micantes,
 Sideraque, & positos summis in turribus ignes,
 Qui faciles portus vicinaque litora monstrant.
 Parte alia in teneros se flores plurimus imber
 Desuper effundat: redivivi hoc munere flores
 Attollant capita, & cælo lætentur amico.
 Fas erit hîc veros dubia sub imagine sensus
 Perlegere, & magnas *Cossarti* agnoscere dotes.
 Ut quondam cæli magno inflammatus amore,
 Arderet juvenum teneros componere mores.
 Hunc quoties, tenui nondum ausus fidere musæ,
 Famæ avidus juvenis clam consulturus adibam:
 Ille quidem nostros tollebat ad æthera versus;
 Et me digna loqui, me cedro scribere digna,
 Atque inhians pendere meo fingebat ab ore.
 Protinus illectam per tot præconia mentem
 Flectebat, me multa docens; magnique Tonantis
 Consilia abstrusa, & totum referabat Olympum:
 Quærere me frustra magnum per carmina nomen:
 Longe alios animi exuperans signabat honores;
 Sed vasto Oceano longum maris æquor arandum.

Tum brevia & fyrtes & navifragas fyrenes
 Monstrabat, facilemque viam cursumque docebat;
 Omnia quæ puro describam carmine vates.

Nec, *Coffarte*, tuos obitus, supremaque fata
 Præteream. Duro in faxo testabor amorem
 Ipse meum. Vidistis enim, & memorare potestis,
 Quicumque incolitis Clarii juga sacra poëtæ.
 Me miserum! his oculis vidi hanc procedere pompâ
 Ordine flammarum longo: vidi ipse magistri
 Exequias tristes & lamentabile funus.
 Ibant pullati, dejectique ora sodales,
 Et longum per iter carmen ferale canebant.

Coffarti procul aspiciamus miserabile corpus
 Impositum molli feretro: quem torrida febris
 Abstulerat, crudæ sub tempora prima senectæ.
 Ut vidi pressos oculos, pallentiaque ora:
 Quos ah! tum gemitus, quæ tum lamenta per auras!
 Hos gemitus audistis, & hæc lamenta, Camenæ.

Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luctus
 Fuderit, ut tristes ulularint undique Musæ.
 Mæstior una tamen studiis quæ præfuit olim
 Melpomene, hos versus dilecto inscribet alumno:
Exilio è longo quas ille reduxerat artes;
Has moriens traxit secum, conditque sepulcro.



ARMANDI GRAMONTII
COMITIS GUISCHII
TUMULUS.

QUEM neque Mars ferro, quem nec Thetis
omnibus undis,

Non tranati amnes, mediove incendia ponto,
Hunc Juvenem extinxit lenti vis tabida morbi;
Tantane tam tristi debetur victima letho?

LANDRECTI ad muros hunc vidimus arma
fremmentem,

Rumpentemque aditus, nil tale ferentibus annis;
Prima rudimenta & virtutis signa futuræ.
Inde VALENCENNAS, hinc obsidione premebat
DUNKERCAM, MOX CAMERACUM, infrænesque
subegit

MARSALIÆ populos, bello præfectus & armis.
Saucius ille manum, non segnior ibat in hostem:
Hâc, Belgas, genus acre, truces hâc, stravit Iberos.
Interdum positus si qua otia carperet armis,
Ille graves Martis lenibat Apolline curas.

B ij

Mox ad castra : datam sed pacto foedere pacem
 Ut vidit, juvat ire, atque exera quærere bella.
 Sauromatas adiit, gelidoque sub axe Polonos,
 Seque Ducem probat, & Regem jam castra pe-
 tebant,

Unum omnes. Patrias remeat sed lætior arces
 Francigenûm læsos armis ulturus honores.

Ære cavo Mars insonuit, qua impervius obstat
 Rhenus aquis, immane furens, ubi Cæsaris umbra
 Errat adhuc circum-volitans. Stant agmina tuta
 Objectu telorum, & non superabilis undæ.

Litore in adverfo. Contra furit acriùs ira
 Necquicquam, opposito tardatus flumine Gallus.
 Audax ante omnes rapidis se credidit undis
 GUISCHIVS, & domito victor super incubat amni
 Agmen agens equitum, sequitur tum Gallica pubes
 Infuetum per iter. Victæ formidine gentes
 Ad sonitum Victoris, agros urbesque relinquunt.

Postque tot exhaustos terraque marique labores,
 Ut Juvenem cælo, & magnis Heroibus addat
 Gloria, tot partis nimium decepta triumphis,
 Ante diem, aurato transvexit ad æthera curru.

TRADUCTION.

FRANCE, plains ton malheur. De ce jeune Heros
 Que ny Mars par le fer, ny Thetis par les flots,
 Ny des fleuves profonds le dangereux passage,
 Ny des vaisseaux brûlans, au milieu du naufrage,
 Ne purent nous ravir; l'impitoyable Mort
 Par une fièvre lente a terminé le sort.
 Faut-il, ô justes Dieux, qu'un cœur si magnânime
 D'un si triste destin devienne la victime!

Aux murs de LANDRECI dans mille affreux cōbats
 Au dessus de son âge il signala son bras,
 Présages assurez de sa future gloire:
 Il passe tout d'un coup de victoire en victoire.
 Et d'un nouvel effort après ce coup d'essay
 Il force VALENCIENNE, & DUNKERQUE &
 CAMBRAY,

Il soûmet de MARSAL le peuple redoutable,
 Domte le fier IBERE & le BELGE indomtable,
 Sans que le coup fatal qui luy perce la main,
 De son cœur genereux retarde le dessein.
 Dās les travaux de Mars s'il prend quelque relache,
 Aux concerts d'Apollon son oreille s'attache;

Puis il court à son camp. Mais par de nouveaux
faits

Ne pouvant plus chez nous éclater dans la Paix,
Vers les climats glacez il va chercher la Guerre,
Il va chez le Sarmate, il en défend la Terre,
Et vainqueur du Tartare il voit les Polonois,
Destiner pour ses mains le Sceptre de leurs Rois.

Mars tonne dans les champs où du Rhein l'onde
horrible

Rebute de Cesar l'ombre encore terrible :

Pour y vanger son Roy GUICHE y vole soudain,

L'ennemy seur & fier de l'obstacle du Rhein

D'une insolente voix nous menace & nous brave,

Plus s'éleve l'orgueil du perfide Batave,

Plus des braves François s'enflame le couroux,

Mais les rapides eaux le sauvent de nos coups :

GUICHE ose le premier fendre ces eaux rapides,

Par un nouveau chemin nos Guerriers intrepides

Suivent leur digne Chef, qui ravageant ces bords,

Seul les fait tous fuir de leurs champs, de leurs forts.

Après tant de travaux, tant de grandes journées,

Par ses nombreux exploits mesurant ses années,

Dans son char pour le joindre à ses divins ayeux,

La Gloire avant le temps l'emporte dans les Cieux.

DU PERIER.



D R Y A D E S

A G R I B E L L E V R Æ I

A D I L L U S T R I S S . V I R U M

P . B E L L E V R Æ U M

S Y L V A .

GR Y N Æ I S nuper ludebant Naiades hortis,
Perque novos fontes, per stagna sonantia rivis,
Ducebant hilares cœlo ridente choræas:

Cùm Dryadum tristes media inter gaudia luctus

Audivere: gravi resonabant murmure valles;

Iussæ quippe suis Dryades discedere sylvis,

Nec jam populea redimitæ fronde capillos,

Vitam infelicem sterili sub rupe trahebant.

Hic aderat Dryadum quondam B E L L E V R Æ U S

amores,

Nunc dolor; ille novos fontes, nova stagna revisens,

Addere præclaros hortis properabat honores.

Ut videre, cavis erumpere protinus antris

Et questus iterare; hæsit perterritus Heros.

Adstitit extemplo latis quæ præfidet arvis
 Multa gemens vicina Dryas, demissaque vultus
 Conticuit primum; mox ut data copia fandi,
 Tunc Dominum visa est his compellare querelis.

Si, BELEVRÆE, tui tangit te gloria Ruris,
 Respice nos, neque enim sylvestria Numina temnis:
 Te Juvenem quondam, Te vidimus alta petentem
 Sylvarum deserta, diuque è cortice hiulco
 Vidimus antiquis scrutantem abscondita libris.
 Tum tibi Musæ omnes, Tibi tum Grynæus Apollo
 Atque aderant quotquot Latii, Grajique Poëtæ,
 Centum Oratores, nostra tu lentus in umbra
 Curarum strepitu procul, amplexuque Tuorum;
 Nunc hos, nunc illos intenta mente legebas.
 Quod si forte viæ fessum Te sylva videret
 Arboris acclinem trunco, sese undique sylva
 Curvabat circum, ramo frondente coronam
 Aptabat capiti, & dulci plaudebat Alumno.
 Has-ne memor tanto reddis pro munere grates?
 Pro nemore umbroso, pro frondiferis salicetis,
 Cogimur heu! miseræ nudos habitare recessus,
 Et dura exilia, atque alienas quærere sedes;
 Non ita nos Avus ille tuus, quem pondere fessum
 Curarum, molli toties accepimus umbra:

Non

Non ita nos durus GRYNÆIS expulit agris.
 Olli plus nemora & colles, vallesque placebant,
 Quam foribus domus alta, pavimentoque superba
 Porticus, & variis radiantia tecta figuris.
 Illic difficiles Regni tractabat habenas.
 Sic Numa, cum magnæ leges præscriberet urbi,
 Quærebat nemorum loca sola, & valle profunda
 Indigetis Nymphæ meliori Numine plenus,
 Dictabat Latix memoranda oracula genti.
 Vos Dryades vidistis enim, dum bella fremebant;
 Bella per EVRIACOS famâ notissima campos.
 Ille quidem secum bellantum fata volutans,
 Audiit ut sævi mugire tonitrua Martis,
 Unde sonant sylvæ, rerum in discrimine tanto,
 Res sacra civili ferro decernitur, inquit:
 Hæc dicens procumbit humi, manibusque supinis
 Ipse inter Natos medius Pater, auspice cælo,
 Pro Rege & Regno, pro Relligione tuenda,
 Orabat multa obtestans, superisque litabat.
 Hinc monitis Divum tandem melioribus actus
 Gallorum Proceres, quos egerat undique terror,
 Firmabat placans animos, absensque regebat
 Jamdudum incerto scissum pro Rege Senatum,
 Tunc si vera fides, & adhuc credenda vetustas,

Fatidicæ; ut quondam, fudere Oracula quercus:
 Has tamen has ferro grandes præscindere quercus
 Crudelis! nec nostra movent Te vulnera, nec quæ
 Fundimus expulsæ patriis suspiria sylvis:
 Nunc te Naias habet, Naias tua maxima cura,
 Huic grandes thalamos, huic magna cubilia ponis;
 Attollisque novos & vestis marmore fontes;
 Dum nos insequeris ferro, magnamque verendis
 Das stragem late arboribus sylvasque revellis.
 Vidi ego seclusis ulmum frondescere campis;
 Hanc non durus Ilax, non ipse bipennifer Algon
 Audebant vel sacrilega violare securi,
 Annorum tanta se majestate ferebat,
 Hanc ferro excisam vidi crudeliter ulmum,
 Et Dryadem duro sub cortice forte latentem
 Ingemere, & sacrum late effudisse cruorem.
 Riserat illa prius dira inter fata Sororem,
 Testis eram, memini, tua verba his auribus hausi:
*Par, inquit, te pœna manet, multabere Nymphas
 Alterius rides jam jam casura ruinam.*
 Nunc mœrens habitat rupes, ulmumque reliquit;
 Et quereris quod nulla tuis Tibi floreat arvis
 Quamprimum moriens primis in frondibus arbor?
 Audiit hæc Ruris Dominus, jam pœnitet acti,

Spondet opem, vocat Agricolas, mandatq; patentes
Arboribus ferere, & versare ligonibus agros.

Huc Mæris, Lycidasque venit, venit ipse Palæmon;
Explorant geniumque loci, mox ordine longo
Ulmofque & tiliæ ponunt, & stagna coronant.

Longos per tractus, lati per jugera campi,
Spem sylvæ ingentis, teneras sub viscera terræ
Infodiunt glandes, plantasque à matre recisas,
Hic ornos, & castaneas, hic robora plantant
Et glaucas salices: fervent cultoribus agri.

Quin Dryades nudis media plus parte lacertis
Incumbunt præclaro operi, sylvasque reponunt,
Tantus amor! tanta est reparandi gloria Ruris!

Plaudite nunc Dryades, BELEVRÆO plaudite
Nymphæ,

Ille dat antiquas vobis jam cernere sedes,
Dat saltus habitare novos, de munere tanto.


Certatim viridem ramis aptate coronam:

Tempus erit vestris quo carmina læta sub umbris
Cantabunt Vates, adero SANTOLIUS omnesque

Hic aderunt Musæ, vicini & Numina Ruris.

Tū BELEVRÆUM omnis, BELEVRÆUM sylvæ sonabit,

Illum dum Populi, magnis dum plausibus Urbes
Ostendent seris exemplum imitabile seclis.



LES FONTAINES DE PARIS.

Pour la Pompe du Pont Notre-Dame.

SEquana cum primum Reginae allabitur Urbi,
Tardat praecipites ambitiosus aquas.
Captus amore loci cursum obliviscitur, anceps
Quo fluat, & dulces necit ubique moras.
Hinc varios implens fluctu subeunte canales,
Fons fieri gaudet, qui modo flumen erat.

IMITATION DES VERS LATINS

Q*ue le Dieu de la Seine a d'amour pour Paris!*
Dés qu'il en peut baiser les rivages chers,
De ses flots suspendus la descente plus douce
Laisse douter aux yeux s'il avance ou rebrousse:
Luy-mesme à son Canal il dérobe ses eaux,
Qu'il y fait rejallir par de secrettes veines,
Et le plaisir qu'il prend à voir des lieux si beaux,
De grand fleuve qu'il est, le transforme en Fontaines.

P. CORNEILLE,

AUTRE TRADUCTION.

E *Prise des beautez d'un séjour si charmant*
Je coule bien plus lentement,
Je m'arreste par tout; & mon onde incertaine
Semble mesme oublier son cours,
Ainsi ces longs canaux où je coule sans peine,
Font qu'avec joye après mille détours,
De fleuve que j'estois je me change en Fontaine.

DU PERIER.

AUTRE TRADUCTION.

A *Vssi-tost que la Seine en sa course tranquille,*
Toint les superbes murs de la Royale Ville
Pour ces lieux fortunez elle brûle d'amour:
Elle arreste ses flots, elle avance avec peine,
Et par mille canaux se transforme en Fontaine,
Pour ne sortir jamais d'un si charmant séjour.

CHARPENTIER de l'Acad. Franç.

Pour une grande Fontaine tirée de la Seine.
SEquana jamdudum Neptunia jura perosus,
 Imperiis paret jam, LODOICE, tuis.
 Aspice ut ad nutum tibi seruiat omnibus undis,
 Quo tu cumque vocas nobile flumen adest.
 Te propter sese Nereo subducere tentat,
 Et vectigales jam tibi pendit aquas.

TRADUCTION.

LA Seine, GRAND MONARQUE, admirant ta
 fortune,
 Pour estre toute à toy se dérobe à Neptune,
 Voy comme elle obeit à tes ordres nouveaux,
 De son lit à ta voix elle s'est retirée,
 Et libre desormais du pouvoir de Nerée,
 Te vient offrir icy le tribut de ses eaux.

CHARPENTIER de l'Acad. Franç.

LAUTRE TRADUCTION.
 LA Seine ne veut plus obeir qu'à tes Loix,
 Voy comme tous ses flots dans leur course nouvelle
 Se répandent par tout où ta voix les appelle.
 Grand Prince, pour toy seul, des tyranniques droits
 Qu'exige l'Ocean elle se va soustraire,
 Et déjà d'un tribut fidelle & volontaire,
 Elle aime à se soumettre au plus juste des Rois.

DU PERIER.

*Pour la Fontaine des Quatre Nations
vis à vis le Louvre.*

SEquanides flebant imo sub gurgite Nymphæ,
Cum premerent densæ pigra fluenta rates.
Ingentem Luparam nec jam aspectare potestas,
Mirandum augusti Regis & Artis opus.
Huc alacres, Rex ipse vocat, succedite Nymphæ,
Hinc Lupara adverso littore tota patet.

I M I T A T I O N.

C'Est trop gemir, Nymphes de Seine,
Sous le poids des batteaux qui cachent vostre lit,
Et qui ne vous laissoient entrevoir qu'avec peine
Ce chef-d'œuvre étonnant, dont Paris s'embellit,
Dont la France s'enorgueillit.
Par une route aisée, aussi-bien qu'impreveuë,
Plus haut que le rivage un Roy vous fait monter,
Qu'avez-vous plus à souhaiter?
Nymphes ouvrez les yeux, tout le Louvre est en veuë.

P. CORNEILLE.

*Vis à vis le Palais Royal, où doit estre la Statuë
pedestre du Roy.*

Qui fontes aperit, qui flumina dividit Urbi,
Ille est, quem domitis Rhenus adorat aquis.

Pour celle de S. Ovide, entourée de Monasteres.

Tot loca sacra inter, pura est quæ labitur unda;
Hanc non impuro, quisquis es, ore bibas.

Pour celle des Petits Peres.

Quæ dat aquas, saxo latet hospita Nympha sub
imo:
Sic tu, cum dederis dona, latere velis.

Pour la Fontaine de la Charité.

Quem posuit pietas miserorum in commoda
fontem,
Instar aquæ largas fundere suadet opes.

I M I T A T I O N.

Cette eau, qui se répãd pour tant de malheureux,
Te dit: Répans ainsi tes largesses pour eux.

Pour

Pour celle de la Place Maubert.

Qui tot venales populo locus exhibet escas,
Sufficit & faciles, ne fitis urat, aquas.

Pour celle de la rue de Richelieu.

Qui quondam magnum tenuit moderamen
aquarum
RICHELIUS, Fonti plauderet ipse novo.

Pour celle qui vient de Belleville.

Hic Nymphæ agrestes effundite civibus urnas,
Urbanas Prætor vos jubet esse Deas.

Pour celle du Fauxbourg S. Germain.

Vnam Nympha gerens dominam properabat
in Urbem,
Dum tamen hîc celsas tot videt illa domos:
Fervere tot populos, optatam credidit Urbem,
Constitit, & largas læta profudit aquas.

D

Pour la Place Royale.

Qui tot regificis decoravit sumptibus Urbem,
 Prodigus has etiam dat LODOICUS aquas.
 I M I T A T I O N .

LOUIS dont la magnificence
 De tant d'edifices nouveaux
 Embellit Paris & la France,
 Te prodigue encore ces eaux.

DU PERIER.

Pour celle de la rue neuve S. Louis.

Felix fonte tua, Naias amabilis,
 Dignum, quo flueres, nata situm loci:
 Cui tot splendida tecta
 Fluctu lambere contigit.

Te Triton geminus personat æmulâ
 Conchâ, te celebrem nomine Principis,
 Læto non sine cantu
 Portat vasta per æquora.

Cedent, credo equidem, dotibus his tibi
 Posthac nobilium Numina fontium:
 Hac tu forte beatos
 Fluctus volve superbior.

In fronte Arcus Triumphalis.

PAcatis latè populis, longoque reductis
Artibus exilio, frænato denique luxu,
Totque manu raptis ad Rhenum, Isalimque
Tropæis;

Hos superûm, LODOICE, genus, fortissime Regum,
Ipsa triumphales tibi GLORIA consecrat Arcus.

Pro statuâ aeneâ D. Card. Richelii in arce Caletensi.

HAc Arce in mediâ, cui me præfecerat ingens
RICHELIDES, voti reus, hanc BETHUNIUS olli
Attollo molem: & memori rem carmine signo
Ut quam longa dies solidum hunc ex ære laborem,
Servabit, nostri maneant & pignora cultûs.

C. D. P.

*Depicta in Epitaphio Uxor libellum Deo supplicem offert in
gratiam mariti, qui in reorum salute obtinenda totus erat.*

QUi fontes letho eripuit, qui fecit inermes,
Dum pendent in fata manus, & dura severi
Judicis arbitria, & leges demulsit acerbis:
Illius ô miserere! & nunc bone CHRISTE repende,
Quam dedit orando, veniam, & placabilis audi
Conjugis æternos charo pro Conjuge luctus.

Pour l'Arcenal de Brest.

Ventus & unda filēt Magni LODOICIS ad arces,
Suspendus positus hæret uterque minis.
Hinc celeres ambo vastum properate per orbem
Terribile invicti dicere Regis opus.

Hac LODOIX Magnus tela omnia condidit Arce;
Juppiter ipse cavâ fulmina nube tegit.

Bella silent, Venti fileant: hâc imperat Arce,
Qui dedit & terris, & sua jura mari.

Quid LODOIX terrâ: disjectas aspice Turres.
Quid, valeat pelago: solam hanc quam condidit
Arcem.

Hanc Magnus LODOIX armandis classibus Arcē.
Condidit, hinc Prædo tuque BRITANNE procul

Hanc LODOIX Magnus sublittore condidit Arcē
Mars stupuit: totis simul Arcem muniit armis.

Ad Cl. V. D. de SEUIL ora Britannica Præfectum.

Auro inscribendos mitto, SULLI optime, versus,
Elige, namque potes, metuendo Principe dignos.
Ille tuus labor, in te operis stat gloria tanti,
Terribili Cæpto respondeat undique carmen,
Et fugiat trepidus vix lecto carmine Prædo

Dirum aliquid, Prædo, nunc nunc meditare per
æquor;

Hæc si tecta domo fulmina ferre potes.

Aliud.

QUÆ longa in vasto se extendit littore Moles,
Regis opus, terror pelagi, & tutela carinis;
Nautica prostat ubi armandâ pro classe supellex,
Fœtam armis hanc Mars habitat, fœtam ignibus
Arcem.

Neptunus miratur, & applaudentibus undis
MAGNE, tuis servire ambit, LODOICE, triumphis;

Pour la Fontaine du mesme Port.

ILLam Nautæ omnes celebrate in littore Nymphæ,
Hic vobis dulces provida præbet aquas,
Quin falsum per iter, quâ pocula pura ministret,
Scandere amat vestras officiosa rates.

Pro Arcibus Cæsareis ad muros Rhemenses nuper repertis.

CÆsareos Arcus, ingentes fornice portas;
Tot decora alta, tot & veteris vestigia Romæ
Hic agnosce: suis ubi magni Cæsaris umbra
Gaudet adhuc circumvolitans errare trophæis.
Hoc quondam ad Remos, positus jam pacifer armis,
Fœderis æterni posuit memorabile pignus;

Pour une Fontaine d'un Marché.

Forte gravem imprudens hic Naias fregerat
urnam :

Flevit, & in fontem versa profudit aquas.

Pour le Quartier des Financiers.

Auri sacra fitis non larga expletur opum vi,
Hinc disce æterno fonte levare sitim.

Dryadum Prætori gratiarum actio.

Regalem qui nos, Prætor dedit ire per urbem,
Et nobis certas struxit ubique domos.

Illum Rivi omnes, illum Fontesque sonabunt,
Quin etiam totis Sequana plaudet aquis.





P R O
 S A N C T O V I C T O R E
 M A R T Y R E .

Hymnus.

V O s ô Christiadum fortia pectora,
 Clarum Massiliæ dicite Militem:
 Tinxit qui proprio sanguine, quam sacro
 Gestat vertice lauream.

V I C T O R militiæ præmia respuens
 Christi castra ducis nudus amat sequi;
 Ritus sacrilegos, signaque Cæsaris
 Felix transfuga deserit.

Vinctum compedibus turba satellitum
 Nequicquam rigido carcere detinet:
 Carcer perpetuis noctibus obsitus
 Tanto lucet ab hospite.

Miles Pontificis munere fungitur,
 Custodes pavidos crimina dedocet,
 Sacris lustrat aquis, & nova pectora
 Vero numine roborat.

Sit laus summa Patri, summaque Filio,
 Sit par sancte tibi gloria Spiritus:
 Tali praesidio praemia sustinent
 Fuso sanguine Martyres.



I Nunc sancte Pugil, quo pia praemia,
 Quo te magna vocant praemia Militem:
 Praesens Christus adest; hoc duce ferreas
 Vinces carnificum manus.

Urbem per mediam victima nobilis
 Raptaris, lacero corpore pulchrior:
 Dum discerpta trahit membra ferox equus,
 Coelum mente praecipuas.

Quo te cumque furor barbarus abripit,
 Fusus vulneribus signat iter cruor,
 Sparso quo veluti semine, laetior
 Surgit Christiadum seges.

Hic dum verberibus plectitur asperis,
 Longa perfruitur supplicii mora:
 Affixumque cruci nobilis Aemulus
 Christum, qua licet, exprimit.

Aras ante Jovis non timidus mori
 VICTOR thura negat : sacrilegam pede
 Deturbat statuam , nec metuit gravem
 Vano fulmine dexteram.

Plebs irata pedem Militis amputat ;
 Sed non ille gravi vulnere tardior
 Ad mortem properat , certa que præmia ;
 Vitam fundere prodigus.

Sit laus summa , &c.



Templa solemnem resonent triumphum :
 Hæc dies , longi pretium laboris ,
 Strenuum Christi Pugilem supremas
 Vexit ad Arces.

Dum terit sacros mola grandis artus ,
 Rumpitur venis cruor è profundis :
 Tum cruentatæ caput immolandum
 Devovet aræ.

Vindices Æther jaculatus ignes
 Machinam solvit , tremuere turbæ ,
 Nil tremens unus pia colla VICTOR
 Subjicit ensi.

Mox triumphali petit astra curru,
 Splendido frontem redimitus auro:
 Compedes, Virgæ, Mola, Crux, Securis,
 Pompa triumphi.

VICTOR, exemplis animosiores,
 Fac tuis nostras sociare palmas,
 Et quibus Christi superemus hostes,
 Arma ministra.

Ille, quo sternis simulacra divum,
 Ille pes nostris venerandus aris
 Ire calcatum monet execrandæ
 Fercula pompæ.


Laus tibi, summi moderator orbis,
 Præmiis duros recreans labores,
 Quem Fides veri studiosa, Trinum
 Credit & Unum.






Traduction de l'Hymne de S. VICTOR.


CHrestiens, celebrons la victoire,
 De VICTOR, ce fameux Soldat,
 Qui dans un douloureux combat
 Acquit une eternelle gloire ;
 Chantons ce noble Deserteur,
 Qui de l'infernal Seducteur,
 Quitta l'injuste obeissance,
 Pour suivre les saints étendars ;
 D'un Dieu que sa seule souffrance
 Fit triompher de toutes parts.



En vain l'aveugle Idolatrie ;
 Pour faire obstacle à ses desseins ;
 Enchaisne ses vaillantes mains ;
 Ses mains l'appuy de sa Patrie ;
 Dans les cachots privez du jour,
 Son cœur brûlant du saint Amour ;
 Annonce le divin Mystere ;
 Et son zele au ciel attentif,
 Par un changement salutaire,
 Fait un Apostre d'un captif.




L'ennemy de l'Estre suprême ,
 Par ce succès épouvanté ,
 Aux crins d'un cheval indompté ,
 Fait qu'on l'attache à l'heure mesme.
 Le coursier fougueux , bondissant ,
 Entraisne ce corps innocent ,
 Où son caprice le conseille ;
 Rien d'entier n'en est conservé ,
 Et tout le pavé de Marseille ,
 De son noble sang est lavé.




Après cette vaine entreprise ,
 La foy du Guerrier de JESUS ,
 Se voit par le payen confus ,
 A d'autres épreuves soûmise.
 Ses membres en croix attachez ,
 Par mille foüets sont arrachez ,
 Plus d'un bras armé le déchire ,
 Il reste insensible à leurs coups ,
 Et la longueur de son martyre
 Luy rend son martyre plus doux.


E




Le sang qui de son corps ruiselle
 Sur ses propres persecuteurs,
 Porte jusqu'au fond de leurs cœurs
 La grace qui les renouvelle;
 Du haut de ce funeste bois,
 Ce sang au défaut de sa voix,
 Leur presche le Dieu de Justice,
 Et ce Martyr plein de ferveur,
 S'offrant pour eux en sacrifice
 Imite son divin Sauveur.




Lors on le descend, on le flate,
 De mille propos caressans,
 Offre à Iupiter ton encens,
 Défay-toy d'une erreur ingrate;
 Après, on soumet à ton choix,
 Richesse, honneurs, plaisirs, emplois,
 Parle, & tout suivra ta parole,
 VICTOR sent ces pieges nouveaux;
 Il frape de son pied l'Idole,
 Et l'Idole tombe en morceaux.




O pied, dont la force terrible
 Confond l'orgueil de l'Univers,
 Pied, qui fais trembler les enfers,
 Pied, pour jamais incorruptible ;
 On te coupe, & tes fiers tyrans,
 Par cent supplices differens,
 Exercent sur toy leur vengeance ;
 Mais ta perte n'allentit pas
 La course, dont VICTOR s'avance
 Vers son Dieu qui luy tend les bras.




L'Empereur qui voit impuissante
 Sa fureur après tant d'efforts,
 Sous une meule étend le corps
 De cette victime sanglante.
 Dans cet effroyable tourment,
 Ni plainte ni gemissement,
 Ne sort de sa bouche sacrée,
 Il benit ce lit de douleurs,
 Qui dans la celeste contrée
 Se doit changer en lit de fleurs.




'Mais le Ciel opposant la foudre
 A la cruauté des Cefars ,
 Lance un de ses terribles dards ,
 Qui réduit la machine en poudre ;
 Parmi la fumée & le bruit ,
 Le peuple épouvanté s'enfuit ,
 Et plein de l'effroy qui le guide ,
 Croit trouver par tout son tombeau ,
 VICTOR seul , d'une ame intrepide ,
 Tend le col au fer du bourreau.



'Aussi-tost l'Athlete fidelle ,
 Baigné de son sang précieux ,
 S'en va recevoir dans les Cieux
 L'éclat d'une pourpre immortelle :
 Les Chaisnes , les Verges , les Croix ,
 La Meule dont l'enorme poids
 N'a point sa constance étouffée ,
 Et le Glaive encor tout fumant ,
 Composent l'auguste Trophée ,
 Qui le suit dans le Firmament.



Grand Saint, dont le nom fut l'augure
 De tes victorieux exploits,
 VICTOR, qui vainquis à la fois,
 Et les demons & la nature;
 Martyr, dont la ferme valeur,
 Dans les assauts de la douleur,
 Sera pour jamais admirée;
 Heros, qu'on ne peut imiter,
 Entens-nous du haut Empyrée;
 Où tes vertus t'ont fait monter.



Tu nous vois ramper sur la Terre,
 Où la flatense Volupté
 Declare à nostre infirmité,
 Vne pernicieuse guerre;
 Preste-nous ton cœur & ton bras,
 Pour resister à ses appas,
 Qui font une mortelle atteinte;
 Fay-nous combattre en vrais Chrestiens;
 Afin qu'une victoire sainte
 Vnisse nos lauriers aux tiens.

CHARPENTIER de l'Ac. Fr.



Autre Traduction des Hymnes de S. VICTOR.

CHantons, peuple, chantons ce guerrier dont
Marseille

Vit le sang insulter au Demon étonné,
Produire en s'épanchant merveille sur merveille,
Et teindre les lauriers dont il fut couronné.

VICTOR quitte les rangs & dédaigne la paye,
Pour suivre pauvre & nud l'étendart de la Croix,
Et du camp des Césars où sa valeur s'essaye,
Il passe, heureux transfuge, au camp du Roy des Rois.

On le charge de fers, on luy choisit des peines,
Au fond d'un noir cachot on le tient garroté:
Il est libre au milieu des prisons & des chaisnes,
Et remplit le cachot de sa propre clarté.

Ses Gardes effrayez par ce double miracle
Conçoivent des faux Dieux une invincible horreur,
Prennent le Saint pour guide, & sa voix pour Oracle,
Et dans un bain sacré lavent leur vieille erreur.

Gloire au Pere éternel, gloire au Fils ineffable,
Gloire toute pareille à l'Esprit tout divin,
Gloire à leur Vnité, dont l'essence adorable
Regne sans borne aucune, & regnera sans fin.



ENtre, heureux Champion, la carrière est ouverte,

Dieu te voit & t'appelle au trône préparé ;
Entre, & voy les tyrans animez à ta perte
De l'œil dont tu verrois un trophée assuré.


Quand d'un cheval farouche à la queue on te lie,
S'il déchire ta chair, elle en éclate mieux ;
Et s'il brise ton corps, ton ame recueillie
Par un vol avancé va s'emparer des Cieux.

Ton sang, en quelques lieux que sa fougue l'emporte,
Laisse empreinte à longs traits la gloire de ton nom ;
Et c'est une semence illustre, vive, & forte,
Qui de nouveaux Martyrs germe une ample moisson.

Les verges sur la Croix te font un long supplice,
Tu jouis en secret de toute sa lenteur,
Et ton zele applaudit à la fureur propice
Qui fait l'image en toy de ton saint Redempteur.

Tu braves Iupiter, tu ris de sa statue,
Tu la jettes par terre au lieu de l'encenser ;
Et ne redoutes point ce foudre qui ne tue,
Qui n'agit qu'en peinture, & ne se peut lancer.

On vange sur ton pied ce noble sacrilege,
 Tu n'en cours pas moins viste où t'appelle ton Dieu,
 Ton Dieu dont il reçoit ce digne privilege,
 Qui sans corruption le garde en ce saint lieu.



Que d'un chant solennel tout le Temple resõne,
 Ce grand jour du Martyr paye enfin les travaux,
 Le Ciel en est le prix, & Dieu qui le couronne,
 Change en biens eternels ce qu'il souffrit de maux.


Ses membres écrasẽz sous la meule palpitent,
 Il offre à Dieu le sang qu'elle en fait ruißeler,
 Et plein d'un feu nouveau que ces gesnes excitent,
 Sur cet autel sanglant il aime à s'immoler.

La machine brisẽe à grands coups de tonnerre
 Sur le peuple tremblant roule, & brise à son tour,
 VICTOR, seul intrepide, & las de vaincre en terre,
 Tend le col aux bourreaux pour changer de sejour.

La teste cede au fer qui du corps la détache,
 L'ame vole en triomphe au dessus du Soleil,
 Et l'on voit chaînes, fõüets, & meule, & croix, & hache
 En former à l'envy le pompeux appareil.

Rens-nous plus courageux, grand Saint, par ton
 exemple,
 Obtien-nous des lauriers qui s'unissent aux tiens,
 Et fay de tous les vœux qu'ont offre dans ce Temple
 Des armes pour domter l'ennemy des Chrestiens.

P. CORNEILLE.



PRO
SANCTO JOSEPHO.

Hymnus.

Regum progenies, Ifacidum decus,
Festo te celebrent carmine conjuges,
Certatimque ferant candida virgines
Sponso lilia Virgini.

Tu JOSEPH, novi lux nova fœderis,
Tu custos sociæ Virginis integer,
Tu sanctæ thalamo conjugis abstinens
Divinæ sobolis Pater.

Alto Progeniem quàm bene creditam
Servas consilio, depositum Dei.
Tecum pervigiles cœlituum Pater
Curas juraque dividit.

Artus invalidum sic puerum foves,
Infantique Deo pabula sufficis,
Et formata Dei te sine, de tuis
Crescunt membra laboribus.

F


Vix Puer natus: redit ecce præpes
 Nuntius: Patri, fuge, dixit, Infans
 Quæritur, Matrem, Puerumque tutas
 Transfer in oras.

Tu nihil contra: per opaca noctis
 Protinus Matrem Puerumque transfers.
 Dirigit gressus, aperitque calles,
 Qui filet infans.

Ora mox solvet: Solymam per urbem
 Quem dolens quæris comitante Matre,
 Hunc senes inter puerum stupebis
 Mira loquentem.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
 Et tibi compar, utriusque Nexus
 Spiritus, per quem regimur labantes
 Rebus in arctis.





P R O

MARIA MAGDALENA.

P Rocul maligni cedite Spiritus,
 Vos Numen vrget, cedit Numini;
 Fessamque longis MAGDALENAM,
 Parcite nunc agitare pœnis.

CHRISTI iubentis numine territi
 Fugere septem : mox sibi reddita
 Te CHRISTE confectatur vnum,
 Et memori tibi mente servit.

Quin & cruenta de trabe pendulo
 CHRISTO litabat mille doloribus.
 Quam vellet infontis Magistri
 Sola graves tolerare pœnas !

Miscere fletus sanguinis æmulos
 Non cessat, adstans victima victimæ:
 Non ille respondens amori,
 Quam melius probat hinc amantem !


MARIA blando faucia vulnere,
 Jam non dolendum quid Dominum doles?
 Et crescit in pœnis renascens,
 Unde tibi violentus ardor?
 Quem quæris ipso funeris in sinu,
 Tibi resumpto corpore redditur:
 Nondum Parentis quos reliquit
 Æthereos remeavit axes.
 Victis triumphat clarior hostibus,
 Jam cerne, totus se Deus asserit:
 Effracta subverso sepulcro,
 Ecce jacent revoluta saxa.
 Myrrham quid affers, vanaque balsama?
 Hæc luce functis debita munera,
 Mox ille donandos Olympo
 Non eget his redivivus artus.
 Ingens amantem te dolor indicat,
 Amans vicissim se Deus obtulit,
 Se more componens coloni
 Alloquio recreat dolentem.

TE sole primo de tumulo recens
 Notis salutat vocibus obviam,
 Numenque confessus corusco
 Emicuit manifestus ore.

O si beatos tangere vel pedes
 Mortalis ausim ! non licet amplius,
 Cæleste spirat : fors beatæ
 Hæc fuerit pretiumque vitæ.

Tu prima testis, primaque nuntia
 Velox in urbem protinus advola,
 CHRISTIQUE mœrentes Ministros
 Plena Deo propiore firma.

Laus summa Patri, summaque Filio,
 Sit summa puro laus quoque Flamini,
 Afflante quo semper calescunt
 Æthereis pia corda flammis.



IN S. IOANNEM BAPTISTAM
CAPITE MINVTVM.

ECce saltantis pretium puellæ,
Fertur in disco caput amputatum.

Hæc cruentatis nova proferuntur
Fercula mensis.

Quæ rudes sylvis populos docebat,
Quæ Deum totâ resonabat aulâ,
Illa vox crudo resecata ferro
Muta filebit.

Occidit præco, sed adhuc timetur,
Vox filet Verbi, cruor ille clamat,
Atque fraterni temerata carpit
Fœdera lecti.

Nube sub densa jubar involutum
Venerat cæcis aperire terris:
Sole maturo velut umbra cessit
Lucifer orbi.

Summa laus Patri, genitæque Proli
Nube quam rupta Pater ore signat;
Et tibi visum specie columbæ
Numen amoris.



OMnibus manat cruor ecce venis,
 Hinc fitim longam fatia, tyranne,
 Et dapes inter, paterasque puro
 Sanguine liba.

Ut caput vidit dapibus paratis
 Triste fumanti natitare tabo,
 Hæsit, impastis fremuitque mensis
 Funeris autor.

Horruit cælum, tremuere turbæ,
 Ipsa se damnat feritas tyranni:
 Sola Saltatrix ovat insolentis
 Conscia facti.

Non tamen frontis gravitas serenæ
 Cessit immiti violata ferro,
 Dura mitescit placido sub ore
 Mortis imago.

Morte qui spreta metuendus, in ipso
 Regium crimen folio laceffis,
 Mille da Vero quoque pro tuendo
 Temnere mortes.

**DIVÆ FARÆ
VIRGINI,**

H Y M N V S,

HUc vos, quæ superas incolitis domos,
Agni delitiæ, currite Virgines;
FARÆ sacra dies provocat æmulis
Cantus jungere cantibus.

Virgo blanditias inter amabiles,
Luxus alta petens despicit Aulicos:
Ardet digna Deo conjuge nobiles
Toto pectore nuptias.

Vilis jam species, vanaque purpura,
Longe nunc aliis gaudet honoribus;
Tot clarum titulis dediticit genus
Cælestis generis memor.

Nequicquam thalamos proposuit pater,
Jam desponsa patris, iussa perhorruit:
Voto, se penitus, non violabili,
CHRISTO debita consecrat.

G.

50
Quas non ille preces mollior addidit !
Quas non increpitans addidit & minas !
Christo rite datam, discite Virgines,
Virgo non temerat fidem.

Da te, summe Pater, tollere laudibus ;
Da te, Christe sequi, laurea Virginum,
Per te, divus Amor; frigida pectora
Puris ignibus ardeant.



I I.
Quid fles? jam lacrymis pone modum tuis,
Virgo, sponsus adest quem bene deperis.
Si te fida Deo quem colis, obligas,
Ultro se Deus obligat.


Juges in lacrymas faucia solvitur,
Mortalis thalami quas timor elicit ;
Extinxit miseræ lumina Virginis
Fletus copia largior.

Felices tenebræ ! scilicet intimo
CHRISTUS lux animo plurimus insidet ;
Accepto superi munere luminis,
Perdit nunc oculos libens.

Damno læta suo non timet amplius
Quas molles oculi delitias bibunt ;
Rerum ne violent, undique lubricæ
Purum pectus imagines,

Sed longum tenebris non fruitur suis :
Orans EUSTASIUS vix tetigit manu
Haud fontes oculos, nox fugit, & sua
Cæcis lux oculis redit.

Sponsum virgineo progenitum sinu
Laudent virginei cum citharis chori,
Laudent dum niveis splendida Virginum
Ornat tempora floribus.



I I I.

SURGE nunc CHRISTI nova sponsa, Virgo :
Te decet cantus, meliorque pompa ;
Surge, te Sponsus vocat, & serenos
Indue vultus.

Barbarum flectit pietas parentem ;
Templa te poscunt, repetit Sacerdos ;
Maecte, conceptis potiere, Christo
Dedita votis.



Quam manu spicam geris, illa prolis
 Monstrat immensæ fore te parentem:
 Virginum jam te redimita fertis
 Agmina cingunt.

Ecce longinquis properant ab oris
 Virgines, Regum tibi scepra ponunt,
 Ad tuos nutus dociles Alumnae
 Jussa capeffunt.

Hactenus fratrem precibus rebellem
 Asseris Christo, monitisque plenus,
 Aulicos ridens, meliore fastu
 Calcat honores.

Tu potens verbo rege nos Magistra,
 Dedoce pompam fugientis ævi,
 Usque da verum per opaca noctis
 Cernere lumen.

Qui tuum gignis sine matre Natum,
 Virginum custos, pariterque merces
 Vre divino tibi dedicata
 Flamme corda.





P R O

S A N C T A M A R I A
Æ G Y P T I A C A .

VO s ô cum Cytharis jungite cantus
Cælestes Pueri ; Femina sacris
Quondam pulsa adytis , debita Cælo
Nunc ad sidereas transvolat arces.

Sanctis , quæ repulit longius arcens .
Templi liminibus mente profanam ,
Hæc est illa manus quæ tibi **CHRISTE**
Admovit propiùs corde pudicam .

Hæc olim tenebris obsita densis ,
Nunc templo nova lux undique fulget ,
Et monstrat faciles prævia portus
Passis naufragium triste pudoris .

Quæ non divus Amor pectora mutat ?
Vix Cæli radius fulsit ab alto ,
Urbes , seque fugit , nulla sat altos
Ut se condat , habet silva recessus .

H

Molli pro thalamo, frigida rupes :
 Lautis pro dapibus, graminis herba :
 Nec duras hyemes pellibus arcet,
 Nec soles calidos veste repellit.

Ultrix ipsa suos sævit in artus,
 Per quos & potuit pulchra placere.
 Deformis macies incubat ori,
 Sed formam melior gratia pensat.

In pœnam scelerum sæpe recurrant
 Importuna malæ gaudia vitæ :
 Sed versans animo debita noxis
 Tot tormenta, graves comprimit æstus.

Tandem digna polo defere filvas,
 Placasti lacrymis Numinis iram.
 Jam tu pasta sacro corpore CHRISTI,
 Æternæ capias pabula vitæ.

Sit laus summa Patri, summaque Nato,
 Sit compar tibi laus, Spiritus alme,
 Qui, dum sacrilegum pellis amorem,
 Castos insinuas cordibus ignes.





AD ILLVSTR. VIRVM D. D.
 AVGVST. RENATVM
 DE POMMEREV,
 URBIS PRÆTOREM.

*Veterum Fontium in novos fontes
 Expostulatio.*

O D E.

LArgos quæ latices tam populo diu
 Præbemus, veterum numina fontium:

Te nos PRÆTOR adimus.

Dexter fer miseris opem.

En surgunt nova nunc agmina Naiadum,

Urbem perpetuis fluctibus irrigant,

Et nos numina, ficos

Fontes relinquere cogimur.

H ij

Fontes non alios novimus, excitat
Nostrorum nisi quos copia fletuum:

Nobis nomina vana
Restant, & fuimus Deæ.

Illis PELTERIVS pulcra palatia,
Illis marmoreas & posuit domos;

Claro nec sine versu
Victurum decus addidit.

Naias quæque suo fonte beatior,
Nobis quos rapuit gaudet honoribus;

Omnes & sua nostris
Ornant tempora floribus.

Hæc se jactat aquis, illa situ loci,
Puros hæc latices prædicat, altera
Monstrat nobilis urnam,
Doctasque artificum manus.

Æquâ quis ferat hanc mente superbiam?
Vix dum rure suo cognita, ductili
Nunc splendentia in auro
Nuper nomina legimus.

Dum nos sub veteri rupe reconditas,
 Campos per steriles, scrupæa per loca,
 Quas collegimus vrbi,
 Lymphas vndique perdimus.

Olim non ita nos numina temperat
 PRÆTOR, qui dominam munere regio
 Nos transmisit in urbem,
 Longis ducta canalibus.

Nymphis quin etiam, Dîs quoque fontium,
 Sedem magnificam providus extulit,
 Incisis ubi saxis
 Nos spirare dat artifex.

Omnes pro variis muneribus graves
 Urnas seu gerimus, seu sitientibus
 Nos effundimus undas,
 Omnes nudæ humeros Deæ.

Pars ludunt in aquis, pars malè prodita
 Alto se properant condere gurgiti:
 Duro in marmore molles
 Artus, vix tunicæ tegunt.

Tu, quem tot Procerum legit ab ordine
 Princeps, haud titulis grandibus imparem,
 Si quid tale meremur,
 Lapsum restituas decus.


Et jam per populos maxima nuncians
 Te fert fama, novam surgere nunc dabis
 Urbem, jamque locanda
 Nutus Saxa petunt tuos.

Sed quid, dum loquimur, murmure fontium
 Inter se se agitant Sequanides Deæ?
 Frustra Te, optime Iudex,
 Tentant fallere fraudibus,

Cedent si jubeas, & procul exules
 Se se præpetibus proripient aquis,
 Et rursus sua rura,
 Et rupes repetent suas.

Quod si nos placido lumine videris,
 Laxis & dederis currere fontibus,
 Te mox omnibus undis,
 PRÆTOR magne, sonabimus.





IN FONTEM DRIBURGICUM
aquarum salubritate nobilem
FERDINANDI PRINCIPIS
EPISC. PADERBOR.
DELICIAS.
O D E.

QUÆ me purpureis, quæ nova floribus
Crinem cincta vocat Nympha sub alterum
Axem, cogit & almæ
Fines linquere Gallix?

O quam dulce nitet per vitreos Dea
Fluctus, egregii munere Principis!
Stratis molliter undis
Quam pulcrum super incubat!

Hinc & Luppia, & hinc surgit Amisus,
 Læves nudi humeros, nec male prodigas
 Tam felicibus undis
 Urnas jungere gestiunt.

Quos ignes oculis ambo avidis bibunt,
 Hos servant mediis fluctibus, æmulis
 Ardent ignibus ambo,
 Et labi immemores stupent.

Illuc per liquidum quis vehat æthera?
 (In me nulla mora est) Teutonas omnibus
 Quamvis terreat armis
 Mavors, ibimus, ibimus.

Ergo rumpe viam dux, bone VERJUSI,
 Illuc Gallica res te vocat: obvia
 Te per tela, per ignes
 Te, quocumque vocas, sequor.

Lævâ quam subigit Nympha videbimus
 Urnam de Pario marmore nobilem,
 Hîc incisa legemus
 Vatum nomina grandium.

Auctam

Auctam tot titulis, quos veterum è sinu
 Docti cura sagax Principis eruit,
 Hanc mirabimur urnam,
 Doctasque Artificum manus.

His FERNANDUS aquis præsidet, & domos
 Circum marmoreas providus exstruit.
 Hæc nos Tecta Poëtæ,
 Has Ædes habitabimus.

Vates ille suos scilicet, & sua
 Alter Phœbus habet flumina: quæ libens
 Vel Parnasside lympa
 Mutet Pieridum chorus.

Pulsabit cytharam TORCKIUS auream,
 (TORCKI plena Deo carmina vidimus)
 Hic miscere licebit
 Doctis prælia Vatibus.

Sed quid Francigenæ Naiades ingemunt?
 Mœrens Borboniis se Dea fontibus
 Æternùm abdidit, ex quo
 Formosum caput extulit.


Ad ripas Paderæ Nympha potentior;
 Hic Germanus, Iber, Gallus & Allobrox,
 Se, post longa duella,
 Læta ad pocula provocant.

Ad fontes medicos undique curritur,
 Hinc longe fugiunt agmina febrium,
 Morbi pallida monstra:
 His terris habitat Salus.

Succis seu melior terra salubribus,
 Seu ferro insita vis, seu Genius loci,
 Sacras afficit undas,
 Membris unde redit vigor.

Sed quid necto moras? inter amabiles
 Nympharum choreas ludere gestio.
 Surdis, Sequana, ripis
 Sat nos carmina fudimus.





A D

CELSISSIMVM PRINCIPEM
 FERDINANDVM
 EPISC. PADERBORNENSEM,
 MONASTERIENSEM COADIVT.
 BARON. DE FVRSTEMBERG.

MIRABAR nuper cur sic mihi Pegasis unda
 Rauca fonans trepidis obstrepuisset aquis.
 Cur ita me lævus, quondam mihi dexter, Apollo
 Aspiceret, solitam nec mihi ferret opem.
 Iamque indignabar, sacrumque relinquere fontem
 Mens erat, & docti Numina læva chori:
 Cum dudum ancipiti sese Deus obtulit, ægro
 Nescio quid solito tristius ore gerens:
 Ni Fernandus amet tua carmina, rumpimus, inquit,
 Iuratæ tecum foedus amicitia.
 Obstupui: neque enim præfagia vana monebant,
 Mox patuit tanti causa resecta mali.
 Præteritus, FERNANDE, tibi, tua dona referrent
 Dum reliqui Vates, ah! miser ipse fui.

I ij

Me Vatum è numero, quos Gallia jactat alumnos,
 Scilicet excludis, meque filere jubes.

Hinc virides subitò vidi marcescere lauros,
 Et cadere invitâ plectra tubamque manu.

Ipsa ignorabat me fama, nec amplius illos,
 Quos celebres reddis, fas mihi adire Viros.

Nam quis ego! nunc per te omnis stat gloria Pindi;
 Omnis ab auspiciis fama petenda tuis.

Ah! quantus, dixi, pudor est te Principe temni,
 Quantaque Principibus laus placuisse viris!

Non hoc Pierides, non hoc spondebat Apollo,
 Dum sacri exupero Montis anhelus iter.

Me vos ô faciles, me decepistis Amici,

Non is ego Vates, quem cecinistis, eram.
 Si non me Amisius, si non me Luppia norit,
 Luppia laude tua dives, & Amisius.

SANTOLI frustra clarabit Gallia nomen:

Frustra me extulerit laudibus Aula suis.
 Num mea despiciet civilis Carmina Prætor,
 Si nos de folio despicias usque tuo?


Inscripsi dominam titulis majoribus Urbem:

O cives titulos jam lacerate meos.
 Si mihi, BELLEVRI, nostrum decus unde, favorem
 Carminibus potui conciliare meis,

Ille mei fuerit melior pars nominis, ille,
 Et pondus numeris, ingeniumque dedit.
 Nec me jam potero reliquis æquare Poëtis,
 Nec jam spectandum tollere ad astra caput.
 Quis tum sensus erat! testes vidistis Amici,
 Testis PERERIVS vidit & indoluit.
 Ille tuam solido ex auro monstrabat in aurea
 Pixide, quam dederas Vatibus, effigiem.
 Felix ille! tuas potuit qui cantibus aures
 Demulcere, at me non ita Phœbus amat.
 Observabam avidus tua stemmata, & ordine longo
 Insignes armis & pietate Viros,
 Fulgentesque auro, capitis sacra tegmina, Mitras,
 Terribiles Galeas, quadrifidasque Cruces.
 Mirabar frontem excelsam, mirabar & ora,
 Spirabat toto nobilis ore decor.
 Tum male subridens alto sub corde premebam,
 Illa quæ Codri ruperat, invidiam.
 Me miserum! cui non licuit persolvere carnem,
 Quod mea mittendum scripserat ante manus.
 Namque laborato stabas mihi pulcher in auro,
 Ambibat geninum plurima turba latus.
 Tu lituo accinctus, plectroque insignis eburno,
 Mæonios æquas Pindaricosque modos.

Et folio sublimis, & alta in luce coruscans,
 Gaudebas doctis dicere jura choris.
 In te oculos conversa, in te simul ora tenebat
 Major ab exemplo docta caterva tuo.
 Tot titulos inter præclaraque nomina famæ
 Non postrema tibi gloria Vatis erat.
 Quippe tuum frangunt dum multa negotia pectus,
 Nos legis interdum, nosque legendo probas.
 Dumque tuis fera bella tonans mars imminet arvis:
 Tu placidâ nostros excipis aure modos.
 Ecquis erit Vatum posthac qui temnat honores:
 Quos tu carminibus, muneribusque foves?
 Illi haud immemores spargent tua scripta per orbem,
 Certatimque tuum nomen in astra ferent.
 Ipse ego non humili, PRINCEPS, te carmine dicam,
 Et nullus cantu me superabit Olor.
 Et quamquam haud valeam laudes æquare canendo
 Implebo partes attamen ipse meas.
 Dumque alii Vates pro te majora parabunt,
 Respice me, & te vel Principe digna canam.





A D

CAROL. PERRALTV M.

QVOD LATINI POETÆ

non sint in honore apud Aulicos.

ELEGIA.

AFFER opem PERRALTE, meos ne despice
 ce questus,

Obruitur quantis noster Apollo malis!

Deferimur! Latioque premit nox alta Poetas,

Nullus honos Latiis, gratia nulla modis.

Arentes jam sponte cadunt de vertice lauri:

Et despecta nimis plectra canora silent.

Scilicet Ausonios manet hæc fortuna Poetas,

Inclita sic virtus præmia digna refert.

Divini deinceps morietur musa RAPINI,

Et jam, COMMIRI, tuque R U Æ E files.

Hi tamen hi Vates manifesto numine pleni,

Quo tu fonte bibis, hoc quoque fonte bibunt.

Per nos dicam etenim, Reges & prælia Regum,
 Per nos posteritas erudienda leget.
 Fors etiam è nostro veniet tibi carmine nomen,
 Qui das præclaris Artibus unde vigent.
 Sed quid ego attollo peregrinæ murmura linguæ?
 Atque incompositis carmina fracta sonis.
 Oblectant galli mira dulcedine Vates,
 Et versus blandos blanda puella legit.
 Illa quidem cæcos, quibus uritur, audit amores,
 Quæ fitiit longùm blanda venena bibit.
 Hos legit, hos relegit vel feri ad luminis ignes,
 Perditaque, hos versus dum meditatur, amat.
 Profuerit semper teneris placuisse puellis,
 Omnibus hæc, solis quæ placuere, placent,
 Et nos Ausonii per carmina quærere nomen
 Pergimus! Ausonios non legit Aula modos.
 Olim Roma fuit, celebresque fuistis Athenæ,
 Temporibus Vates hi placuere suis.
 O nimium infelix alieno tempore Vates!
 Carmina quæ scribo mobilis aura rapit.
 Barbarus ille fuit, qui me prior ore Pelasgo,
 Qui me Romano compulit ore loqui.
 Certis qui docuit sub legibus, ordine certo,
 Libera captivis cogere verba sonis.

Non

Non impune tamen latius me fallat Apollo,
 Dediscet fastus musa latina suos.
 Sævire in natos licuit quandoque parenti,
 Ipse ego sic versus dilacerabo meos.
 Frustra Pierides, frustra prohibetis Amici,
 Protinùs in flammam ibit & ille Liber.
 Ille Liber, doctæ quem dictavere Sorores,
 Quem PERRALTE legis, quemq; legendo probas.
 Quid mihi tot soles, tam longas ducere noctes
 Profuit, & curis me cruciasse meis?
 Si non inde datur COLBERTI agnoscere vultus,
 Tangere nec puræ limina sacra domûs.
 Ille rigat patrias Parnassi in vertice lauros,
 O utinam in latias vel levis unda cadat!
 Aspiceres lætos inopino munere Vates,
 Eruere è tenebris scripta sepulta suis.
 Scripsimus, & nostri superant monumenta laboris,
 Optima pars nostri nominis ille Liber.
 Hunc lege, nostra tuam tangant si carmina mentem,
 COLBERTO dicas, Ille Poeta fuit.
 Addas meque novos titulis inscribere fontes,
 Fontibus his proprias meque dicasse Deas.
 Multa reluctantem captivo in littore Rhenum,
 Et truncum sub aquis occuluisse caput.

Me domitos cecinisse novo sub Cæsare fluctus,
 Et profugas, inter ferrea castra, Deas.
 Hic ille est, dicas, qui jam celebrata per urbem
 Aufoniâ cecinit regia dona tubâ.
 Addes S A N T O L I non olim ignobile nomen,
 Et dices quidquid dicere suadet amor.
 Si tibi jam facilem COLBERTUS præbeat aurem,
 Molles quære aditus dexter, & affer opem.
 Scribere me celebres, quos ambitiosa Vetustas
 Et quos ostentat Gallia docta, Viros.
 Et qua quisque sua princeps excelluit arte,
 Dicas Aufonii nobile Vatis opus.
 Quos inter, PERRALTE, meus jam gestit Apollo
 Scribere Te, atque tuas pandere mentis opes.
 Longe omnes suprâ COLBERTI major imago
 Gaudebit doctis dicere jura choris.
 Illum pulchræ Artes, Illum cultique Poetæ,
 Magni oratores tunc super astra ferent.
 O mihi contingant centum linguæ, oraq; centum,
 Omnis Apollineus proluat ora liquor.
 Si me difficilis vultu minus aspicit æquo,
 Iratâ frangam plectra tubamque manu.



TRADUCTION.

*Du mépris injuste qu'on fait des
Poètes Latins.*

ELEGIE.

PERRAULT, assiste nous, écoute nos douleurs :
Plain de nostre Apollon les injustes malheurs.
Nous sommes delaissez, & les Latines Muses
Sans espoir de secours sont tristes & confuses.
De nos fronts les lauriers tombent secs & flétris,
Et nos luts sont muets, sans honneur & sans prix.
O ! fortune envieuse, est-ce ainsi que tu traites
Ceux que Rome connoist pour ses sacrez Poètes ?
Quoy donc ainsi mourra la Muse de RAPIN ?
Et COMMIRE & la Rüe auront la mesme fin,
Bien que du grand Phœbus leur Muse toute pleine,
Vienne boire avec toy dans la mesme fontaine.
Toutefois nous chantons les combats & les Rois.
Les siecles à venir nous liront quelquefois.
Et toûjours dans nos chants durera ta memoire,
Toy qui donne aux Arts & la vie & la gloire.

*Mais pourquoy me servir d'un langage étranger,
Et des mots que les vers ont peine à bien ranger ?
Les Poëtes François par leur douceur enchantent,
Et les jeunes beautez les goutent & les vantent.
Climene y lit les feux dont son cœur est brûlé;
Le poison avec joye est par elle avallé.
Elle passe les nuits à les lire & relire.
Elle aime ses amours dans les vers qu'elle admire.
C'est un rare secret que de plaire aux Beautez.
A tous plaisent les vers qui d'elles sont vantez.
Que pourront esperer nos travaux & nos veilles ?
Si pour les vers Latins la Cour n'a point d'oreilles ?
Jadis Athenes, Rome, à tous donnoient les loix,
Leurs Chantres en leurs jours firent aimer leurs voix.
Helas ! ce temps n'est plus. O ! travail miserable,
Si la France à ma Muse est si peu favorable !
Que celui-là me fit un funeste destin,
Qui m'apprit, pour chanter, le Grec & le Latin,
Qui m'enseigna cet Art qui nous fait mille peines
A captiver des mots sous des regles certaines.
De toy, Phœbus trompeur, je sçauray me vanger,
Et des Musés que flatte un langage étranger.
Je brûleray mes vers, puisque souvent un pere
Sur ses propres enfans irrite sa colere.*

Laissez, *Muses*, laissez, achever leur destin,
On verra dans les feux ce volume Latin,
Ce livre que des Sœurs la docte bande avouë,
Ce mesme livre enfin que PERRAULT lit & louë.
Car que me serviront tant d'ouvrages produits,
Tant de travaux soufferts & les jours & les nuits,
Si par eux à COLBERT je ne rends mon hommage,
Si par eux jusqu'à luy je ne m'ouvre un passage?
C'est luy qui sur Parnasse arrose les lauriers
De ceux que dans sa langue on conte les premiers.
C'est luy de qui les eaux rendent leur champ fertile.
Qu'au moins sur les Latins une goutte en distile.
D'un don inopiné nos Poëtes surpris,
Feront de l'ombre au jour sortir tous leurs écrits.

PERRAULT, j'ay fait sonner la trompette & la lyre:
Nos chants les mieux choisis icy se peuvent lire.
Lis donc, & si nos vers te peuvent contenter,
A COLBERT dy le rang que j'ay pû meriter.
Dy que de noms nouveaux, de Deitez certaines,
J'honore dans Paris les publiques fontaines.
Que j'ay chanté LOÛIS, & le Rhin mutiné,
Cachant sous l'eau l'affront de son chef écorné,
Dont ce nouveau Cesar ensanglanta les rives,
Et vid devant son camp les Nymphes fugitives.

Dy luy que c'est l'Authheur qui d'heroïques tons,
Du grand Roy dans Paris a celebré les dons.
Dy luy que dès long-temps mes œuvres se font lire.
Enfin dy tous les mots que l'amitié fait dire.
Cherche, pour l'aborder, les temps propres & doux,
Et son rare loisir, pour luy parler de nous.
Dy luy que je dépeins, & de lustres en lustres,
Entre tous les François les hommes plus illustres :
En quoy dans ses emplois chacun scent exceller.
Dy qu'en un tel ouvrage on peut se signaler.
Entre les renommez, mon Apollon m'engage
A décrire les dons qui furent ton partage.
De COLBERT le tableau sur tous se fera voir,
Donnant les justes loix aux troupes du Sçavoir.
Les seconds Orateurs, & les Vers, & l'Histoire,
Et les Arts, jusqu'au Ciel éleveront sa gloire.
O ! que n'ay-je pour luy cent bouches & cent voix;
Je voudrois qu'Apollon les fit bruire à la fois.
S'il ne fait à mes vœux l'accueil que je souhaite,
Je rompray de courroux ma lire & ma trompette.

J. DESMARESTS.



A D

I. B. SANTOLIVM
VICTORINVM.

O D E.

*Æterna esse præmia Poëtarum qui Latine
scribunt.*

NON, si carmina Gallicis
Apte juncta modis, ingenI & artium
Idem cultor & arbiter
COLBERTUS meritis muneribus fovet,
Romanæ, ut quereris, lyræ
Omnis continuo laus perit & decus,
SANTOLI. Neque præmia
Illum deficient, Virgilio duce,
Versus perfimiles tuis
Quandoque Ausonia qui recinet tuba.
Nescis ut patrio novam
Sermoni faciem quæque ferat dies;


K ij

Nam quas nunc misere anxius
 Scriptor quærere amat delicias, brevi
 Usus si volet insolens,
 Spretas reiiciet non sine nausea.

RONSARDUS male barbaro
 Molles auriculas murmure vulnerat,
 Dictus Franciacæ Pater
 Linguæ. Quis modo non unius æstimet
 Assis vendita millibus
 Ter denis opici carmina PORTEI,
 Et jam PERRONIDE jaces:
 Iam MALHERBA tuos Sequana parcius
 Miratur numeros. Fugit
 Laudatus populis VETTURIUM lepos:
 Festino & nimium pede
 Chartas BALZACII deseruit Venus,
 Sic mori placitum improbo
 Fastidire, semel quod placuit, diu.
 At certus Latiis honos,
 Et vani haud metuens tædia sæculi
 Perstat Gratia Vatibus.
 Vivet perpetui Musa SIDRONII
 Puro flumine purior:
 Et qui nunc cithara provocat æsculis

Auditas Calabris fides;
 Acri nunc lituo Mæonidem refert,
 Felix ponere V VALLIUS
 Incano duplicem vertice lauream.
 Rident sole sub aureo
 Flores nigram hyemem, quos facili manū
 Insevit meus & mero
 R A P I N U S nitidos nectare perpluit.
 Et te fama, R U Æ E, anus
 Tradet postgenitis, non humili pede
 Persultantem Isalæ vada
 Dum cantu Batavos exagitas duces,
 Et quos Rex gladio ferit,
 Æterno calami figis acumine.
 Nec te, F R I Z O, finet premi
 Obscuro indecorem posteritas situ:
 Cui si me ingenio parem
 T U R E N N I annuerint dicere prælia, &
 Rubros sanguine Belgico
 Musæ B O R B O N I D A S; non aliis velim,
 Obscœni fugiens lucri
 Ornari potius carmina, præmiis.

J. Commirus, S. J.



IN LIBRUM
 V. C. FRANCISCI
 CARPENTARII
 DE ARCV TRIUMPHALI
 GALLICE INSCRIBENDO.
ELEGIA.

TERRUERAT Titulusque audax, nomenque
 Libelli,

Quotquot amant Latiâ grande sonare tubâ,
 Scilicet is primas ausus sibi poscere partes
 Posthabuit Francis verba latina sonis.
 Vatibus Ausoniis & jam sua linqere pleetra
 Mens erat, & positâ triste filere lyrâ.
 Decipimur dixi, nec scripta laceffere nostra,
 Nec voluit nostris imperitare choris.
 Ille quidem Gallus Gallorum jura tuetur,
 Et Patriam meritâ laude carere verat.
 Orabat causas Romano Tullius ore,
 Laudabatque tuos, Attica lingua, sales.

Sequanides calathis Nymphæ date lilia plenis,
 Vestros qui titulos afferat, ultor adest.

Vestra per hunc jam lingua suos agnoscit honores,
 Iam nihil è latio, quo superetur, habet.

Dat verbis numeros, magnis dat pondera rebus;
 Ecquis erit patrio nunc pudor ore loqui?

Non jam incerta, suas gaudet præscribere leges,
 Quas constans usus, quas ratioque probat.

Quippe usu longo videas splendescere voces,
 Puraque deterso verba nitere situ.

Quæ male nata, diu sub Francâ incude refinxit,
 Mollit & duris asperiora sonis.

Ambitiosa etiam tumidæ ornamenta loquelæ
 Deditit, puræ simplicitatis amans.

Non illam oblectant fallentum ludicra vocum,
 Nec salibus, lepidis nec caret illa jocis.

Perpetui comites, & lucidus Ordo, Nitorque,
 Et decus, & Gravitas, blandus vbique Lepos.

Nil opis externæ, latii nil indiga cultus,
 Nativas fundo divite promit opes.

Paulatim Ausoniæ sic crevit gloria linguæ,
 Cùm leges nondum juraque Roma daret.

Ast vbi se dominam agnovit, rerumque potentem,
 Graiorum excussit libera facta jugum,

Tum posuit certosque modos, normamque lo-
quendi,

Et victos latio compulit ore loqui.

Solane tot titulis, tot Gallia clara triumphis,

Sermonis fileat pauper egenisque sui?

Fallimur Aufonidæ, constat sua gloria Gallis:

Annuimus, fas his scribere, fasque loqui.

Et quibus hoc stetit Imperium lauroque superbos

Tot Bellatores non finet illa mori.

Quem Mars, quem domitis Rhenus modo palluit
undis,

Magnanimum Regem musa filebit iners?

Qui potuit Regni vastos extendere fines,

Num poterit patriis & dare jura sonis?

Et pugnae hortator potuit qui accendere Martem,

Qui fera torpentes movit ad arma manus:
Scilicet ille suo careat Victoris honore

Sermo? tot & laudes lingua aliena canat?

Et quos non meruit peregrina ostendet honores?

Dedecus hoc gallæ vos prohibete Deæ.

Certatimque omnes verborum evolvite gazas:

Et vester tandem prodeat ille liber;

Ille liber centum promissus & auctus ab annis,

Quo lucem accipient verba, decusq; suum.


Hæc

Hæc solidos arcus, structasque ad sidera moles
 Inscribant patrio cognita verba solo.
 Nam quid docta manus, quidve Artes, quidve
 Figuræ?

Ni voces habeant marmora sculpta suas.
 Multa obluçantem captivo hîc flumine Rhenum
 Cernere erit, profugas inter & arma Deas.
 Mox trepidare Aquilam, Belgamque pavere
 Leonem,

Attonitus sculpto Civis in ære legat.
 Et functus bello spectet sua prælia miles,
 Non male tunc facti conscius ipse sui.
 Hîc dum vulgus hians scripto pendebit ab auro,
 Clam me me increpitans, hæc ego pauca loquar:
Si patria afflassent dextro me Numine Musa,
Nunc legeret, titulos nunc legeremque meos.
 Dum loquor hæc, Latius mihi credo infensus
 Apollo,

Italidesque vetant dicere plura Deæ.
 Parcite, si vestras cantando læsimus aures,
 Hoc licèt inviti forte legetis opus.





AD SANTOLIVM VICT.
A M I C I

De precedenti Elegia iudicium.

E P I S T O L A.

Vam illam Elegiam vidimus, OPTIME
SANTOLI, qua linguam Gallicam La-
tina prestare, & primas illi partes
in templis, arcibus, palatiis, ceterisque publi-
cis operibus inscribendis tribuendas asseris; ipsa
meo quidem iudicio nec elegantia nec arte carere
videtur. Illam videt quicumque legit, hanc non
videre non licet, si paulo attente legatur; quan-
to enim puriori latinitate Gallicam linguam com-
mendas, tanto Latine praecellentiam probas, &
quo altiori cothurno incedis, quo politiori, quo acu-
tiori stylo in laudes Gallici sermonis excurris, tanto
in gratiam Latini nec insciens forsitan vel impru-
dens scribis. Desinant igitur quotquot Latine lo-
quela amatores, quotquot tui emuli, quotquot cen-
sores, tam elegans poema, tam ingeniosum Poë-
tam vel jocis carpere, vel maledictis impetere: tu
enim tam latine linguam Gallicam attollis, ut ex

hujusce emula laudibus, & ut ita dicam, flosculis,
 Latina coronam neētere videaris. Quot namque ve-
 neres, quot elegantia, quot lepōres in tota Elegia
 sparsi animum lectoris oblectant, tot sunt flores,
 totserta quibus Latinam ornas, quibus ejus pra-
 stantiam sensim innuis, & tacite praedicas; nec so-
 lum legentibus dignitatem exponis, sed etiam
 si palmam illi palam non tribuis, tacito tamen
 iudicio alteri praeripis quo emula coronetur; sic mi-
 ro & inobservabili artificio omnino destruis, quid-
 quid in contrarium ipso operis titulo astruere vi-
 debaris. In hoc argumento ludere noster Apollo
 voluit. Nonnullos versus huic Epistola addidimus,
 quo Apolline editos, penes te sit iudicium: nec
 lepidum adversarium tuum ledere animus fuit,
 cum quo jocari & lascivire stylo impune semper
 licuit. Vale.



A D
 JAC. BEN. BOSSUETUM
 EPISC. CONDOM.
 S. P. DELPHINI
 PRÆCEPTOREM.

In maledicum latini carminis detractorem.

ELEGIA.

QUIS BOSSUETE furor, quis me novus
 impetit hostis?

Quæ nova in immeritum detonat ira caput?

Scilicet Aufonios semper fortuna Poëtas

Obruet, & versâ deprimet vsque rotâ.

Ecce vides quam dura premat fors vndique Musas,

Durâ forte tamen durior ille fuit.

Ille meum audaci confodit carmine carmen,

Risit & insulsis scripta latina jocis.

Vindictæ indulgens, quos nunquam sensit amicos,

Imbelli senior provocat ense Deos.

Invocat Archilochi rabiem, insanosque furores,
 Afflavit tremulum quis Deus ille senem?
 Non Deus ille fuit : flammam hanc, hos suscitavit
 ignes

Ira, per infulsos mollior ira sales.
 Demens ! qui mites vocat ad certamina Musas,
 Duraque scæmineas poscit in arma manus.
 Illum si calami teneat tam dira cupido,
 (Nam sua sunt doctis prælia docta viris.)
 In miseros vates, tales exerceat iras,
 Et mites Elegos mitis & ipse legat.
 Otia pacis amant scribentes docta camcænæ,
 Quæ mulcent animos, dedecet ira Deas.
 Quid me ergo rabido ore petit, latiosque
 Poëtas,
 Insequitur numeris durior ipse suis.
 Ah ! malè tunc pereant, per me licet, optima
 vatum

Carmina, quis curet talia, nullus erit.
 Romani fuimus, jam ingloria turba, Poetæ;
 Nostraque sub multo pulvere scripta jacent.
 Quin etiam insculpto quæ quondam inscripsimus
 auro,
 Tot tituli, regum tot monumenta ruant.


Quenquam ô ! Palladiæ semper florebitis Artes,
 Vos modo DELPHINUS , quem docuistis , amet.
 Si faveat , Luparam penetrabimus , arma satelles
 Ponet , & ire viâ liberiore dabit.
 Crescent inde Artes , crescet decus inde latinum,
 Et suus Antiquis restituetur honos.
 Jam lituos & plectra , tubas , calamosque paramus,
 Major anhelanti personat ore Deus.
 Et taceam BOSSUETE , tuo dum pendet ab ore
 Quem fingis regno , Regius ille puer?
 Ille meos , quos musa jubet tibi scribere versus ,
 Spero equidem hos versus , teque legente , leget.
 Et nos FERNANDUS , cui Lippia subijcit urnam ,
 Nos , dum sæva tonant vndique bella , legit.
 Barbaries nunquam atque vagæ inconstantia linguæ
 Mutabit nostros , quos legis vsque , modos.
 Et penetrant aulas , penetrant & limina regum
 Carmina , quin manes non subiere semel.
 Unde tot Elysiis nuper mala murmura campis?
 Omnis turbata est , ingemuitque domus.
 Pallidior visa est magni quoque CÆSARIS
 umbra ,
 Et GERMANICUS hinc , DRUSUS & inde
 fugit.


Occulit vultus magnus CATO, vincimur,
inquit;


Romaque Romanos non tulit vna duces.
Scilicet illa recens manes descenderat imos,
Terruerat latios quæ cita fama viros:
Rheni perdomitos gallo sub Principe fluctus
Vulgabat, numeris docte RUÆE tuis.
Illam Vmbræ, manes latij audivere fonantem,
Illic Gallorum non datur ore loqui.

COMMIRI Elysiæ repetebant carmina valles,
Carmina pindaricis æquiparanda modis.
Audierant jam PERERIOS sacra agmina cantus,
Quos dudum Flaccus credidit esse suos.
Nec non ancipitis firmabat pectora turbæ
COSSARTI aufoniis vmbra recepta jugis.
Sed quid ego hæc? latias DELPHINVS. amaverit
Artes,
Protinus aufoniâ perfonet aula tubâ.

















SANTOL
GARMIN
SELECT